T. PFANNERI

EPISTOLA

ad

AMICUM

de

ARCANIS PACIS WESTPHALICÆ.

Plin. 4. Epist. 17.

Naturale est cuique ut ea, quæ quis adeptus est, ipsa quàm amplissima existimari velit.

Sumptibus JACOB MEVII.

GOTHÆ,
TYPIS CHRISTOPHORI REYHERI,
cIↄ Iↄc xcviii.

OBvenere nuper admodum mihi, Amicorum chariſſime, beneficio tuo *Arcana Pacis Weſtphalicæ*, ſive (ut totam retexam phaleratæ inſcriptionis ſeriem *cum titulis pleniſſimis*) *Plenior atque ex ſecretioribus Actis & congreſſibus deprompta Relatio Hiſtorica de S. Rom. Imperii Pacificatione Oſnabrugo-Monaſterienſi*; faſtum ſanè aut malignitatem odiumve aliorum, qui ipſa fronte profeſſa. *Vulgaria* utique paſſimque obvia ceteros retuliſſe, haud obſcurè arguit, qui poſt res ab aliis jam pridem conſcriptas vulgatasque *Arcana* crepit atque pollicetur, cæterisque ſatis inſolenter ſuam exprobrat *egeſtatem* qui *pleniora* tanto cum præconio ex ipſo titulorum ſuggeſtu promittit. Mihi quidem inſcriptionum ſimplicitatem (quantum per iſtos aliquando licuit, quorum impendio noſtra prodiere) maximè ſectanti, Græcis Latinisque ſcriptoribus melioris ævi frequentatam, illico exoſam ſuſpectamq; eveniſſe fateor titulorum inſolentiam; queis etiam obtrectationem

atque livorem adversus nos subesse, imò extare manifestè, nemo historiæ nostræ pacis W. haud ignarus negaverit. Et quid aliud quàm per insidias equidem, (ast non ita, ut non deprehenderetur,) compositas egisse aut molitus Editor (quisquis is demum fiet) censendus, *si pacis ista*, cujus ipse nunc copiam orbi literato facit, *historia Puffendorfii commentariis adjungatur, nihil præterea in hoc argumento desiderari posse*, jactitans, quàm ut nostrâ tot jam lustrorum usu recepta virorumque celeberrimorum commendata suffragiis plane carere istum posse aut ipse sibi habeat persvasum, aut persvasum aliis velit. Videre atque audire mihi visus sum istud Seplasiariorum atque Agyrtarum in foro prostantium, atque ut merces suas reddant venaliores, vociferantium; *Emite orvietanum meum, amici, & in futuros usus recondite. Cavete autem ab eo, qvod alter iste vendit, quod nihil planè valet.* Memini, me puero ad huc Augustæ Vindelicorum (quem mihi natalem locum fata assignavere) nundinis Michaëlis festo iniri atque celebrari solitis, duos Tribûs istius ex adverso (tanquam in ludo gladiatorio ad paria compositos) insigni adstantium irrisu potiùs quàm applausu ita quemque sua multitudini commentasse solennibus huic hominum generi præconiis, ut parum abesset, quin alterius in os alter involaret, magna expectatione

popu-

populi, ſpectaculo iſto, ſi res atque certamen eò usque procederet, gratis nulloque ſui impendio fruituri.

Noſtræ neque indolis neque couſvetudinis eſt, Agyrtas (homines omnium hominum viliſſimos) imitari, eorumve, qui Agyrtarum agunt more, ſectari veſtigia. Et verò ſuo quemque æſtimari precio, non obtrectatione aliorum, honeſtius eſt. Et quid ſecius de nobis meruit, aut etiam potuit mereri *hiſtoricæ relationis* auctor, noſtri planè hiſtoriæque noſtræ omnium utique ignariſſimus, ſi (quod Editor ait) is ipſe negotio adfuit, literisque conſignavit res ipſo præſente geſtas, jam pridem, & forſan antequam nos quoque ad ſcribendam hiſtoriam adjiceremus animum, ſuo fato defunctus. Quem equidem à principio Pacis usque ad finem rebus omnibus geſtis interfuiſſe, falſiſſimum eſſe, quis adeò ſtupidus eſt, aut negotiorum rudis, qui non ex ipſa narratione deprehendat? Id quod tamen affirmare auſus eſt Editor in ipſo præfationis introitu, conditionis etiam Fabii Chiſii (à quo vel teſtem adſcitum vel adjutorem iſtum perhibet Editor) immemor aut ignarus, ut *Cardinalis* illum atque *Legati* nomine ſalutaret, quem non alio quàm *Epiſcopi Neritonenſis* atque *Nuncii Apoſtolici* titulo, cùm officio Iſto Monaſterii fungaretur, inſignitum fuiſſe compertiſſimum eſt.

 Cæte-

Cæterum ad rem ipsam quod attinet, etiam nostra cum pace Arcana ista (quibus adeò insolescit atque sese effert Editor) divulgari potuerant. Extat adhuc, & extabit porro nequicquam ringente aut struente cuniculos Editore, apertissimum voluntatis nostræ votique testimonium, *hanc ipsam*, quam tradidimus, *historiam, si, quibus ad Austriacorum, Gallorum, Svecorum, aliorumve Scriniaria aditus, auctiorem reddere lubuerit, ingentis certè literatum orbem beneficii debitorem habituros*, primæ Editionis Præfatione professi. Neque nostrum est, aut odio Editoris, aut inflicti per insidias vulneris dolore mutare sententiam & publicæ utilitatis amorem studiumque profitenti congruit, potius, profectu istius atque incrementis, etiam opellæ gloriolæque nostræ qualicunque cum jactura dispendiove lætari. Quin grande satis operæ nostræ pretium præmiumque retulisse, nobis ipsis videri potuerat, per quinque lustrorum (ingens mortalis ævi) spatium, virorum eruditissimorum non caruisse adprobatu (& si per modestiam liceat addere) laudibus atque præconiis. Et tamen ne nunc quidem pudet pigetve historiæ nostræ, & etiam post evulgata sacra ista Eleusinia, nobis sanè non adeò exitiosa, ut nostris conatibus omnis aut gratia aut (si dicere fas est) auctoritas pereat; neque quantacunque ista sint, metuen-

dum

dum putamus, ne comparatione iſtorum noſtra (quorum invidiâ magis quàm contemptu Editorem laborare credimus) vileſcant. Extant ſanè in iſtis *Arcanis* inquam, ſcitu aut utilia aut jucunda ſaltem, nobis aut memorata brevius, aut planè incognita. Horum in cenſum (ut exemplis rem probemus, atque teſtificemur animum ab omni ſtudio affectuve obtrectationis alienum) referre hic lubet Electorem Trevirenſem, cuſtodiâ, improviſa Cæſaris benignitate tanquam ex machina clementiùs apparentis, atque ſupra votum ferè ipſorum hoſtium (Gallorum inquam) dimiſſum; poſtulatam à Gallis Legatis Ragotzii Tranſylvaniæ principis Monaſterium absque ſui diſcrimine commeandi facultatem; Cattorum cum Svecis pactionem (haud ſanè ſi ita res ſeſe habet, laudandam) ut fiduciario atque clientelæ (*feudi*) jure atque Svecorum beneficio obtineret Paderbornenſis aliasque ſacræ ditionis terras, ad Svecos quando Cattorum familia deficeret, pleno jure tranſiturus; *reciprocas* (quales auctor relationis Arcanorum, iſtorum Symmiſta refert) inter Coronas ac Proteſtantes de mutuis auxiliis *promisſiones, ita ut & illas hi ſecuras de aſſiſtentia quoad ſatisfactionem facerent, & vicisſim hi ab illis promisſionem acciperent adjutorii in tractatu gravaminum accipiendi*; & præſertim injectam Cæſarianis ex adverſo à Proteſtanti-

pag. 60.
pag. 70.
pag. 93.
pag. 176.

 bus

bus spem, *fieri posse, ut rebus inter status* (Catholicos atque Evangelicos, horum scilicet ad votum sententiamque) *compositis intra octenam aut quindenam confici universa pax queat;* atque immane istud (uti equidem videri posset, neque tamen à ratione, si quid nostri judicii est, prorsus alienum) Catholicorum postulatum, *non relinquendum esse solis Protestantibus judicium, quis nam Augustanæ Confessioni addictus sit, quis non sit? quandoquidem & Cæsaris & Catholicorum plurimum intersit, quis nam sub Imperii tutela degere, & pace religionis frui possit ac debeat, & aliàs sub ejusdem Augustanæ Confessionis pallio plurimæ in Imperium sectæ irrepere facile possint,* qualia quidem (duo inquam postrema) ab isto, ex quo nostra potissimum hausimus, viro sanè industrio, primæ inter Legatos sui ordinis dignitationis, atque talium utique conscio omissa fuisse, non possumus non mirari. Neque tamen ideò fidem penitus Auctori Arcanorum derogamus.

pag. 21. 216.

Neque verò nostræ desunt historiæ, rectius, quàm isthic curatius, uberiusque tractata, ut adeò, si rationem inire luberet, atque alteram alteri comparare atque contendere, esset, cur nostræ causæ honorique nostro metueremus. Ast verò istud ipsum maximè foret, cum Agyrtis Augustanis in forum atque arenam descendere; id quod non ingenii nostri, non mo-

rum,

rum , non nostrarum denique partium est.

Cæterum virtutes laudesq; Relationis historicæ haud dissimulanti nemo vitio vertetquod non planè siluisse vitia ejus, pauciora quidem, quàm referri potuerant; ne odio quid aut invidiæ dedisse videremur, & docuumento tantùm adversus Editoris Superbiam.

In ipso statim operis exordio nescio quid sibi voluerit ipse Præsul, historiæ auctor, aut quisquis is (Tros Rutulusve) fuat, causas belli, de quo componendo Osnabrugæ atque Monasterii actum, ita commemoraturum sese præfatus, pag. 1. ut *nec impertinenter adducendis conciliaret nauseam*; nullam planè mentionem faciat Motuum Truchsesianorum, Electionis Episcopi Argentinensis, inter Pontificios, atque Evangelicos *Capitulares* disceptatæ, Donaverdæ proscriptæ à Cæsare, causæ Juliacensis, atque aliarum, quas (non omnes equidem ejusdem momenti) inter occasiones, causas atque præludia funestissimi, quod per tot lustra Germaniam afflixit, belli, extitisse, nemo rerum harum non imperitus abnuerit. Atque (uti prona adversus homines nobis infensos suspicio est) in mentem venit, ex ingenio atque officina Editoris, alieno operi (ut nobis ægrè faceret) sua attexentis ista prodiisse, ut *impertinenter* talia à nobis adducta esse sub obscura atque insidiosa criminatione argueret. Istud pudendum, atq; homine etiam

ordinis minus illustrioris planè indignum, quòd inter primas belli turbarumque causas refertur

pag.2. Lutherus 1517. qui, *Monastici habitus æque ac religionis Catholicæ desertor, sub specioso & plausibili Evangelicæ doctrinæ prætextu, ad ejurandam fidem avitam non paucos Germaniæ Proceres & privatos invitabat, æternæ perditionis reos statuens, qui Pontificis imperio Ecclesiastico & Catholicorum quibusdam eximii momenti dogmatibus obsecundarent.* Quis enim rerum istarum expers adeò aut immemor est, ut ignoret, aut non meminerit, Lutherum propudiosissima Tezelii nundinatione ad causam *Indulgentiarum* penitus examinandam, vergente anno, quem diximus, primùm concitatum, non illicò Romanæ Sedis exuisse obsequium, neque unquam sibi fuisse in animo, ut ab ista descisceret, secundo adhuc post istum anno privata ad Spalatinum Epistola (qua animi dissimulare aut aliam præse ferre sententiam, nihil intererat) professum; atque anno vigesimo demùm eò usque processisse, ut Romanæ Ecclesiæ mitteret nunciam, dolore combustorum Pontificis jussu librorum ad reddendam per alios ignes injuriæ vicem inflammatum.

Atque hujus intra triennii spatium, imò etiam aliquod abhinc annis animos ad bona sacra invadenda adjecisse Evangelicos (quidquid postea contigerit) atque adeò haud paucos Germaniæ

maniæ Proceres *propositis ex reformatione Cleri opimis Ecclesiarum spoliis, ad famosæ novitatis amplexum inductos*, falsissimum est. Quod de confutata à Catholicis Confessione Augustana ait, putidum est. Quis Confutationis titulo dignam censebit scriptionem, cujus adeò ipsos puduit auctores vindicesque, ut copiam ejus parti adversæ, quantumcunque flagitanti, facere constanter recusarent. Damnatam, &c, (quod in margine habetur,) explosam fuisse à Catholicis confessionem nostratium, nemo inficias ierit. Neque enim tam in nostra potestate est confutare, quàm damnare atque explodere. Minus etiam accurate dicitur; Involasse nostros in Episcopatus & Prælaturas immediatas (*id est, quæ jurisdictionem in subditos exerceant meri & mixti imperii, atque ex usitata in imperio praxi de eorundem religione disponent*) Archi-Episcopatus scil. Magdeburgensem, Bremensem, Episcopatus Lubecensem, Halberstadiensem, Verdensem, Osnabrugicum, &c. Neq; enim *meri atq; mixti imperii* jure (quo etiam Nobiles urbesq; Principum Procerumq; ditioni obnoxiæ frequentissimè gaudent) statuendi de religione facultas niti unquam apud nostros credita est, dignioris multo imperii (*Superioritati*) jure tituloque huc usque exercitæ. Et quàm absonum à ratione, quàm à fide ab horrens flagitata Hanoviæ, atque Lipsiæ præsertim,

pag. 3.

p. 8. 9.

ad loca paci tractandæ destinata sine periculo venia, fœderi scilicet Gallico atque Svecico illigatis; id quod post pactionem Pragensem Lipsiæ Saxonis cum pace gratiaque licuisse (cujus imperio sine exceptione ista tenetur) nunquid non creditu difficillimum est?

Quidquid tamen horum sit, laudanda tamen hominis in recensendis plerisque fides, gravitas atque industria; & in corpore non alioquin aspernando etiam nævos quosdam tolerare æquitatis est atque humanitatis, sui sibi consciæ.

De stylo, quæ ais, quid sentiam? Gravem sensuque validum esse non diffiteor, atque aliquando non inelegantem neque à dignitate historiæ alienum. Ast tamen barbarie, stribligine, sordibusque quas aulæ Latinitati affricant, sæpius laborare, nemo Latini sermonis ad veterem formam exacti studiosior abnuet; atque in referendis ipsis partium disceptantium verbis, Catalogis provinciarum urbiumve contexendis, aliisque modis à conditione atque decore historiæ longius abeuntibus sæpe nimis à legibus hujus atque usu meliorum auctorum discessisse scriptorem, manifestum est.

Sed tædet istis longius immorari. Neque enim volupe nobis nostrisve moribus conveniens est, illaudabilem in colligendisque aliorum nævis operam collocare, pravamque in conqui-

ren-

rendis commemorandisque alienis erroribus exercere industriam, & defuncti præsertim vellicare aut arrodere manes nullâ istius lacessiti injuria. Quæ enim Auctoris in eo culpa, si Editor modum excesserit? Et verò constat atque constabit porro Auctori laus sua atque existimatio, præmium (etiam post fata) operæ, non quidam omnibus absolutæ numeris (quî enim id posset ista rerum humanarum facultatumque conditione?) egregiè tamen navatæ. Neque enim scriptori derogat quidquam Editoris malignitas atque livor, neque tota sui gratiâ excidit forma, non omni penitus ex parte venusta.

Ast quid tu, inquies, aut mussitabis tecum, tam præclarè sentis de historiæ tuæ tantùm non exitiabili, quæ scilicet si accuratissimis Puffendorffii commentariis adjungatur, nihil præterea in hoc argumento desiderari posse, Editor jactitat? Nondum pœnitet sententiæ. Neque verò Editoris judicio aut stare aut cadere nostra necessum erit, neque unius hominis ignoti & fortean non quantivis pretii, ex contemtu neglectuve nostris apud orbem literatum omne decedet precium viginti fermè annorum usu constitutum firmatumque. Et honestius, puto, est, eruditionis qualicunque gloriolâ quâm sinceritatis carere laude, odioque nocentis innocentiam perdere. Et nostræ non vere-

cundiæ

cundiæ tantùm ſed & conſcientiæ eſt aliena noſtris potiora habere. Denique ſufficere nobis poſſunt extantia tot monumentis virorum graviſſimorum atque eruditiſſimorum de opella noſtra judicia. Atque iſta nobis ſufficiunt homini ſuæ haud neſcio ſortis ſuaque mediocritate contento. At non erunt æterna (ſi Editoris votis oblivionem nobis precantis Dii annuerint) quæ ſcripſimus. Non erunt fortaſſe. Scripſimus tamen, tanquam eſſent futura.

Vale. Dab. Vinar. III. Cal. Aug.

cIↃ IↃc xcviii.